DE ADIECTIVIS
POETARUM LATINORUM
USQUE AD CATULLUM
COMPOSITIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ACADEMIA PHILIPPINA

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE CAPESSENDORUM CAUSA

PROPOSUIT

GUILELMUS WILBERTZ.

MARBURGI

MDCCCLXXXIV.

COLONIÆ TYPIS TH. QUOS.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

C. CÆSARI **SCHMIDTIO**

PROFESSORIBUS

HANC QUALEMCUMQUE OPELLAM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Caput primum.

Sexiens abhinc senos menses cum Terentianis fabulis Plautinisque pertractandis operam darem atque ad genus dicendi, verborumque copiam praesertim animum intenderem, quomodo hic illic elocutionibus fingendis, enuntiatis formandis et inter se discreparent Plautus et Terentius, deque aliis poetis et antecedentibus et insequentibus usque ad Catullum eiusque aequales decederent, saepissime est factum, ut adiumentis, eundem illum vel similem quendam finem spectantibus destitutus, quaestionum scitu dignissimarum magnum numerum haud diremptarum relinquere cogerer. Qua re eo sum perductus, ut primum de adiectivis Plautinis Terentianisque quaestionem instituerem, cum omnium istarum quaestionum totum ambitum adire, atque cum aliquo fructu ad finem quendam perducere nimis multarum lucubrationum res sit; atque ea, quae elaborassem, aliquando, si liceret, foras edere tum iam in animum induxeram. Verum tamen operis amplitudo, temporisque angustiae obstant, quominus ipsum munus haud imminutum absolvam; partem tantum operis, quae est de compositis adiectivis Plautinis nunc iam elaborare et conscribere per tempus et operae ambitum licet. Neque tamen sum ignarus, operae amplitudine restricta quoque, provinciam satis difficilem atque molestiarum plenam me suscepisse; sed stimulat sollicitatque vires iuveniles spes, non omni fortassis eventu cassam operam fore. Adhortantur quoque ad perficiendam rem susceptam ea, quae Woelfflinus in mus. Rhen. vol. 37, p. 84

nobiscum communicavit: „Es ist dies (die neue Aufgabe im Gegensatze zu der früheren der Sichtung der Texte) aber keine andere als der Ausbau der Lexikographie und Grammatik, der Aufbau einer Sprachgeschichte von den Anfängen des Lateinischen bis zu seinem Uebergange in die romanischen Sprachen, welcher für Kritik und Litteraturgeschichte, ja auch für andere Theile der Philologie reiche Ausbeute liefern wird. Sucht und findet man in den Tabellen einer Volkszählung und den Ziffern und Procenten der Statistik Aufschluss über die Lebensfragen einer Nation, so werden wir aus dem Zählen und Vergleichen der Belegstellen verschiedener Wörter nicht geringere Belehrung zu ziehen im Stande sein. e. q. s." Atque Herm. Rassovius, qui istum campum est ingressus dissertatione sua philologica: „De Plauti substantivis" Bonnae 1881 [1]) iis, qui Plautinarum fabularum studio incumbunt, adiumentum haud levis momenti praebuit. Praecipuum vero Rassovii operis commodum cum in eo esse positum mihi in dies magis persuaderem, quod omnium substantivorum Plautinorum laterculum est adiunctum, in hac mea dissertatiuncula quoqe totus adiectivorum compositorum ambitus ut respiciatur, de re est visum. Haec igitur quaestionis totius instituendae praecipua nota erat inde a primo initio constituenda, ut praeter mera adiectiva composita, id est praeter ea adiectiva, quae sola compositione duorum vocabulorum in unum novum vocabulum, cui nova inest sententia, ut 'ex-heres', 'incertus', 'soll-emnis', 'lauri-comus', 'decrepitus' etc. sunt orta, ea quoque adiectiva respiciantur, quae aut derivatione e nominibus vel verbis compositis —

1) cf. quoque annal. philol. vol. suppl. XII p. 591—732.

ut 'sol-stitialis', 'desidiosus', e nominibus compositis 'solstitium', 'desidia' mera derivatione suffixo -alis, -osus addito sunt formata — aut ut vocabula 'per-vicax', 'continuus' de verbis compositis 'pervincere, continere' originem ducunt — aut parathesi, ut obvius, pervius, sunt ficta. —

Neque tamen tam magni momenti haec adiectivorum distinctio mihi est visa, ut in ea totius quaestionis fundamentum quasi constituatur. In dubio, confiteor, per longum tempus versabar, quidnam discrimen adiectivorum compositorum potissimum esset tenendum, ut in eo tota quaestio strueretur. Vario enim modo viri docti, qui in his rebus auctoritate quadam conspicui sunt, pro suo quisque fine distribuerunt vocabula composita. Plerique vero eam distributionem eorum, quae ab Indis est constituta, sequuntur; ex interiore enim quadam ratione vocabula composita sex ordinibus inserunt. Respiciantur praecipue, „Benfey: Vollständige Grammatik der Sanskritsprache 1852 p. 251—281. Bopp: Vergleichende Grammatik etc. vol. III^2 p. 450 ss.“ Atque quo magis intellegatur, quid sit causae, cur hanc distributionem reiecerim, adferam Boppii verba, qui singulorum generum praecipuas notas brevissime definiit et circumscripsit. Disiungit igitur:

I. Composita copulativa (cf. Boppium p. 450).

„Diese Klasse besteht aus der Zusammensetzung von zwei oder mehr Substantiven, welche einander coordinirt sind, d. h. in gleichem Casus-Verhältniss stehen und dem Sinne nach durch 'und' verbunden sind·“ Exemplum huius compositionis Boppius adfert p. 455:[1])

---

1) De quibus tamen videndum, quod Udolphius in diss. philol Vratisl. 1868 „de linguae lat. vocabul. comp.“ contulit. p. 36 ss.

βατραχομύο, quod exstat in voc. comp. *βατραχομυομαχία*, et (suovitauri vel) suovitaurum, unde adiectivum derivatum 'suovitaurilis' originem ducit.

II. Composita possessiva (cf. Boppium p. 455).

„Die Composita dieser Klasse drücken als Adiectiva oder Appellativa den Besitzer dessen aus, was die einzelnen Theile der Zusammensetzung bedeuten, so dass der Begriff des Besitzenden immer zu suppliren ist" e. g. multi-comus, albi-capillus.

III. Composita determinativa (cf. Boppium p. 466.)

„Das letzte Glied dieser Compotitionsklasse ist ein Substantiv oder Adiectiv, welches durch das erste Glied näher bestimmt oder beschrieben wird" e. g. in-imicus, in-felix.

IV. Composita regiminis (cf. Boppium p. 469).

„Diese Klasse bildet Composita, deren erstes Glied vom zweiten abhängig ist oder regiert wird, und daher immer in einem obliquen Casus-Verhältnisse steht" e. g. delenificus, contemnificus aut gothica veina-gards — gasti-gods.

V. Composita collectiva (cf. Boppium p. 472).

„Diese Klasse bildet Composita, welche durch ein vorgesetztes Zahlwort näher bestimmt sind" e. g. trivium, biduum.

VI. Composita adverbialia (cf. Boppium p. 475).

„Das erste Glied dieser Compositionsklasse ist entweder, und zwar am gewöhnlichsten, eine Praeposition oder die privative Partikel a, an; das letzte ist ein Substantiv" e. g. admodum, praemodum.

In universum quidem si iudicamus haec divisio a plerisque viris doctis adoptatur, discrimen aliquod in eo apud nonnullos conspicitur, quod tres solum ordines ab iis ponuntur, — e. g. Curtius: Griechische Grammatik § 359 — quorum tamen cum Boppii possessivis (II)

determinativis (III), compositis regiminis (IV) nulla est diversitas. Curtium sequuntur Berchius: „Ueber die Composition der Nomina in den homerischen Gedichten“; Jasperus: „Zur Lehre von der Zusammensetzung griechischer Nomina“, Altona 1868; Sannegius: „De vocabulorum compositione Graeca praecipue Aeschylea, Halle 1865“; Lissnerus: „Ueber die lateinischen Composita“, Gymnasii progr. Eger 1855. Haud longe ab hac distributione decedit Udolphius in libr. commem.

Pauca de Justii distributione proferantur[1]), qui duos tantum ordines posuit, quibus ceteros subiunxit.

Primum enim copulativam, quae vocatur, compositionem et determinativam (cui subiungit Boppii comp. determinativa (III), comp. regim. (IV), comp. collect. (V) coniungit, ut iis inferior compositionis gradus (niedere Art der Zusammensetzung) efficiatur. Quae etiam supersunt compositorum genera, Boppii compositis possess. (II) et adverbial. comp. (VI) seiungit ab istis generibus et superiore quadam compositionis ratione ficta putat (höhere Art der Zusammensetzung). Sed pluribus de hac singulari quidem sed ex Indorum more restrictioribus finibus peracta distributione agere non licet.[2])

Similibus rationibus, quibus Justius, Leop. Schroederus in libro: „Ueber die formelle Unterscheidung der Redetheile im Griechischen und Lateinischen“ (Dorpat 1874) est perductus, ut assueta norma distribuendi vocabula composita relicta, duos ordines poneret (cf. p. 203). Qui, prout membrum porterius compositionis est

---

1) Ferd. Justius: „Die Zusammensetzung der Nomina.“ Göttingen 1861.

2) cf. tamen Miklosischi librum „Die nominale Composition im Serbischen.“

mutatum suffixo aliquo adposito, vel immutatum[1]) I composita immutata II composita mutata disiungit.

Qua ex distributione elucet, Schroederum formam magis quam rationes vocabulorum compositorum respexisse. Neque tamen distribuendi composita vocabula fundamentum, quod Schroederus quaestioni suae poscit, tale est, ut hac quoque in opella cum utilitate quadam atque perspicuitate necessaria adhibeatur.

In universum id iam moneam, quando quidem praecipuorum distribuendi vocabula composita generum, licet paucissimorum, mentionem feci, id aperte apparere mihi videri, ne unum quidem ex omnibus istis distribuendi generibus satis aptum esse, quod huic quaestioni fundamentum quasi supponatur; nimis artificiosa enim omnia ea videntur, quam ut primo statim obtutu satis dilucide distinguatur, cui nam ordini adiectivum compositum, quod fors fert, sit tribuendum. Perspicuitatem vero ante omnia hac in opella minime desiderandam esse censeo, ut ex adiectivorum compositorum congestu laborioso non tam incondita indigestaque vocabulorum moles evadat, quam ut distributione satis

---

1) Quam artificiosa sit distributio a Schroedero instituta ex iis elucet, quae ad certius definiendam eam p. 204 monuit: „Nach Erledigung der ersten Frage, ob das Ganze den Redetheilcharakter des 2. Gliedes behalten oder verloren hat, tritt nothwendig die andere entgegen, ob dies ohne weitere Formveränderung des 2. Gliedes geschehen oder ob eine solche eingetreten und, wenn dies der Fall ist, welche? Danach werden wir folgende Classen erhalten:

A. Ohne Veränderung des Schlussgliedes:

B. Mit Veränderung des Schlussgliedes:

a. Mit Modification des Suffixes,

b. Mit Verlust des Suffixes,

c. Mit Wechsel des Suffixes,

d. Mit Zutritt eines neuen Suffixes an das alte.

dilucida facta quam facillime cognoscatur, quae genera compositorum adiectivorum ab hisce poetis sint adamata ab illis spreta, quaeque vocabula in singulis generibus ab hoc illove poeta novata vel primum usurpata videantur.

Eam potissimum distinguendi rationem, quam J. Grimmius in grammatica theodisca vol. II p. 405—945 est secutus, eligam. Obsoleta quidem haec est neque viris doctis nostrae aetatis, qui in his rebus auctoritate quadam sunt conspicui, probata, verum maxime perspicua, ideoque, ut opinor, prae aliis distinguendi rationibus hac quidem in opella arripienda, ita tamen, ut huic distributioni principali ista a Boppio posita in enumerandis cuiuslibet ordinis adiectivis compositis subiungatur. Grimmius igitur cum formam singularum vocabuli compositi partium magis, quam interiorem connexum spectaret (quae ratio in ista distributione ab Indis petita praevalet) atque utramque compositorum partem in calculo poneret, prout quaeque vel substantivum, vel adiectivum vel verbum vel particula vel numerale esset, aliud distinguendi genus effici necesse erat. Quod quo magis appareat, paucis exponam.

Grimmius igitur in l. c. vol. II p. 426—581 de iis compositis agit, quorum membrum anterius est substantivum; atque tria talium compositorum genera statuit, prout membrum posterius aut substantivum aut adiectivum aut verbum est.

I. In priore parte

substantivum { substantivum, adiectivum, verbum } in posteriore parte sequitur.

De adiectivis compositis, quae in hunc ambitum sunt cogenda egi cap. II sub litt. A §§ 1, 2, 3.

Tum § 2 p. 627 ss. Grimmius complectitur ea com-

posita, quorum pars prior adiectivum continetur; quorum triplex est genus, prout membrum posterius aut substantivum aut adiectivum aut verbum exstat.

II. In priore parte

adiectivum (adverbium)
substantivum
adiectivum
verbum
in posteriore parte excipit.

De hisce adiectivis compos. adeas cap. II litt. B §§ 1, 2, 3.

Tertio ordini a Grimmio ea subiciuntur composita, quorum pars prior verbum praebet, itaque vol. II. p. 680 ss. tractantur ea composita, in quibus verbum antecedens substantivum in membro posteriore sequitur, vol. II p. 683 ss. sequuntur ea, quae priore loco verbum, posteriore adiectivum praebent, verbum cum verbo conglutinari posse in linga theodisca ad nomen compositum fingendum negat.

III. In priore parte

verbum
substantivum
adiectivum
[verbum]
in posteriore parte sequitur.

Adiectiva composita huius generis sub litt. C §§ 1, 2, 3 quaeras.

Ea composita, quorum pars prior particulam praebet Grimmius paragrapho quarta vol. II inde a p. 697—923 tractat; aeque etiam ac generum superiorum huius generis triplex est ratio, prout posterius membrum substantivum vel adiectivum vel verbum praebet.

IV. In priore membro

particulam
substantivum
adiectivum
verbum
in posteriore parte excipit.

Conferas de hisce adiect. comp. cap. II litt. D §§ 1, 2, 3.

Denique postremo loco Grimmius de nominibus compositis agit, quae in priore parte nomen numerale exhibent; triplex eorum est ratio pro posterioris membri indole.

V. In priore parte

nom. numerale { substantivum / adiectivum / verbum } in posteriore parte sequitur.

Inveniuntur huius modi adiectiva composita cap. II sub litt. E §§ 1, 2, 3.

Neque ex huius adiectivorum compositorum distributionis ambitu seiungenda esse putaverim nomina adiectiva decomposita, quod quidem Grimmio placuit, quando quidem decomposita quinta paragrapho separatim illustravit. Etenim compositio omnis fit ita, ut duo vocabula vel vocabulorum stirpes coalescant, atque proinde in unoquoque composito duo membra conspiciuntur, quod idem in vocabulis decompositis fit. Nomina decomposita enim ea sunt, quorum membrum prius seu posterius compositum praebet, ita ut in unoquoque decomposito nomine plus duae stirpes coaluerint. 'Turpilucricupidus' igitur decompositum ortum est ita, ut pars prior sit 'turpilucrum', 'cupidus' posterior. (De hoc vocabulo vid. infra sub A §. 2 capitis II. Item vox 'bisulcilingua' orta est ex 'bisulco' + 'lingua' non ex bi + sulco + lingua.

Priusquam vero ad ipsum munus susceptum accingar, paucis demonstretur, quas rationes in distribuendis diversis diversorum generum adiectivis compositis sim secutus. Nonnulla quoque eademque singularia aliis locis adferam; indicetur hoc loco quam paucissimis, quas notas praecipuas in disiungendis adiectivis participiisque in usum vocaverim. Atque Schroederus in l. c. de hac re nonnulla iam contulit. Dicit p. 85:

„Das Participium ist die verjüngende Quelle für Adiectivum und Substantivum. Zunächst ist dasselbe adjectiver Natur; es wird aber bald zum eigentlichen Adjectiv, indem es die Rection des Verb aufgibt und dafür die Comparation annimmt.

Dixerit sane aliquis comparatione quidem non tam certa fide de adiectivo alicuius vocis indole indicari posse, cum Plautus merorum participiorum et comperativum et superlativum (idque haud ita raro) finxerit. Verum hac re minime haeret iudicium, cum Plautum iocandi saepius ludificandique causa et vocabulis talibus novandis indulsisse, qualium exempla apud nullum alium scriptorem exstant, et vocabulorum tralaticiorum novis formis linguam auxisse inter omnes constet; adeo enim ingenio suo praefervido est raptus, ut vel substantivorum comparationes adhibere non dubitaret. Verum addere opinor licet, diiudicandi de talibus adiectivis dubiis causam adverbialem quoque eorum usum praebere.

Destitutus vero duabus istis distributionis rationibus, interiorem quasi quandam cognoscendi notam adii significationem diversorum singulis locis adiectivorum, ut de adiectiva vel participiali alicuius vocabuli vi atque indole instituerer. Participium scilicet, quod verbalem vim maxime retinuit, prae adiectivo actum singularem indicat imperfectum, non statum quendam absolutum ideoque quasi continuum. Quod praecipue respiciendum erat in iis vocabulis conscribendis, quae derivata cum sint de verbis compositis participia, adiectivorum paulatum vim atque indolem induerunt. In animo est omnis adiectivorum participialium permagna copia, quae congesta sub litt. D § 3 invenies. Haud dubium fere erat iudicium de iis omnibus adiectivis, quorum altera pars adiectivum participiale exstat. Atque praecipue huc pertinent

composita ex coniunctione particulae cuiusdam cum adiectivo profecta. (cf. c. II D § 2.)

Paucissima denique de particulis addenda sunt; quorum in ambitum ab iis grammaticis et anterioribus et posterioribus, qui partium orationis divisionem instituerunt, praeter praepositiones et coniunctiones adverbia quoque sunt redacta. Quorum artem atque disciplinam in hac opella non arripiendam fuisse pluribus verbis explanare supersedeo[1]).

Indicentur iam libri, quos in locis citandis secutus sum. Usui erant:

„Tragicorum Romanorum fragmenta" ed. O. Ribbeckius. Leip. 1871.

„Comicorum Rom. frgm." eiusdem.

„Ennianae poeseos reliquiae" ed. Joh. Vahlenus. Hunc vero librum ad Enni 'Annales' tantum perscrutandos adhibui.

„Plauti comoediae" ed. Alf. Fleckeisenus, complectens decem fabulas: Amphitruonem, Captivos, Militem glorios., Rudentem, Trinummum, Asinariam, Bacchides, Curculionem, Pseudulum, Stichum.

Trinummi praeterea editio: Brixii. Leipz. 1879.

In usum vocavi praeterea

Ritschelii: ed. I Mostellariam — Persam — Menaechmos.

ed. II Aulularium — Truculentum — Mercatorem.

Spengelii: Truculentum.

Wagneri: Aulularium.

---

1) Adeas L. Schroederi l. c., qui diversorum virorum doctorum sententias de hac re contulit p. 35 ss.

Brixii: Menaechmos.
Gepperti: Casinam — Poenulum — Epidicum.
Bothii: Cistellariam.
Studemundi: de Vidularia programma Gryphisw.

Siglis in Plautinis fabulis citandis usus sum hisce:

1. Am. = Amphitruo.
2. As. = Asinaria.
3. Au. = Aulularia.
4. B. = Bacchides.
5. Cp. = Captivi.
6. Cs. = Casina.
7. Ci. = Cistellaria.
8. Cu. = Curculio.
9. E. = Epidicus.
10. Mn. = Menaechmi.
11. Mc. = Mercator.
12. Ml. = Miles.
13. Mo. = Mostellaria.
14. Pr. = Persa.
15. Po. = Poenulus.
16. Ps. = Pseudulus.
17. R. = Rudens.
18. St. = Stichus.
19. Tr. = Trinummus.
20. Tu. Truculentus.
21. Vi. = Vidularia.

Terentianarum fabularum editionem adhibui, quam curavit Alf. Fleckeisenus. Siglis in Terentianis fabulis citandis usus sum hisce:

1. Ad. = Adelphoe.
2. And. = Andria.
3. E. = Eunuchus.
4. H. = Hautontimoroumenos.
5. He. = Hecyra.
6. Ph. = Phormio.

In usum vocavi praeterea
Spengelii: Adelphos — Andriam.
Wagneri: Hautontimoroumenon.
Dziatzko: Phormionem.

Lucilii saturarum editionem Lachmannianam adhibui: Lucretii 'de rerum natura' libri editio a Lachmanno curata mihi erat ad manus.

Caput secundum.

A. Agitur de iis adiectivis compositis, quorum pars prior substantivum praebet.

§ 1. Adiectiva, ex conglutinatione duorum substantivorum orta.

Perrara exstant exempla adiectivorum compositorum, quae coniunctione duorum substantivorum orta sunt. Paulo maior eorum compositorum huius modi est numerus, quae substantiva remanserunt. Juvat vero addere — si quidem e poetarum istorum temporum reliquiis litterariis iudicare licet, quando quidem concedendum erit, scriptores omnium temporum, qui soluta oratione utuntur, in universum quidem adsumpsisse magis poetica quam suppeditasse poetis ornatum — talia adiectiva composita i n u s i t a t a fere fuisse. Duo tantum exempla in fragm. tragic. exstant. 'Corni-frons' Pac. tr. 349 (armentas); 'auricomus' ex inc. inc. f. tr. 163. In Plautinis fabulis, excepto uno 'lori-pes' quod legitur Po. III. 1. 7 (lori-p. procos), Terentianisque, nec non in Lucilii fragmentis frustra huius generis adiectiva composita quaeras. Verum inde ab aetate Lucretii saepius occurrunt, ita ut cum maiore poeseos studio vocabulorum huius modi novandorum amor increvisse putandus sit. Etenim cum in Lucretii sex libris inveniantur quattuor tantum exempla:

alipes VI 765 (cervi); angui-manus II 537 (elephas); capri-pes IV 585 (satyros); lauri-comus VI 152 (montes); 'androgynus' Lucr. V 839 substantivi vicibus potius fungitur ut 'hermafroditus' Titin. v. 112 (Ribb. com. frg.) in Catulli carminibus plura iam inveniuntur

pro minore versuum numero. Idemque maior horum compositorum apud alios huius saeculi poetas conspicitur.[1])

Notandum esse videtur pleraque huius generis adiectiva in -pes, vel -comus, vel -color exire.

Schroederus exempla adiectivorum huius modi complectens, (cf. l. c. p. 519) nonnulla Lucretiana 'auricomus', 'capri-pes', 'angui-manus' omisit; nihilominus autem, si aliquam ei in his rebus fidem habere possumus, ex adiectivorum huius modi diversissimorum scriptorum congestu apparet, posteriores potissimum iis novandis indulsisse.

Adiectiva huius generis ordini alteri a Boppio posito sunt ascribenda; composita possessiva sunt (bahuvrîhi). Sane quidem non ab omni sensu cassum foret, si composita determinativa (karmad'âraya), vel regiminis (tatpuru'sa) ea esse sumeres; e. g. si 'cornifrons' adiectivum possessivum esse statuimus intellectus est: 'hornstirnig' 'frontem cornibus ornatam habens', si compositum determinativum, sensus est: 'frons cornibus ornata' ita ut verba 'cornibus ornata' attributum exstent substantivi 'frons', sin vero compositum regiminis, intellectus evadit: 'frons cornuum'. Ea vero vocis 'cornifrons' interpretatio est commendanda atque recta, quae ad eos locos, quibus adiectivum occurrit interpretandos est apta, qua re compositum possessivum (bahuvrîhi) id esse sumam. Eadem fere ratio est substantivorum auricomus, alipes, anguimanus, capripes, lauricomus: e. g. anguimanus, capripes karmad'âraya esse possunt; vertendum forent hoc posito: 'Hand wie eine Schlange', 'Fuss wie ein Bock'; vero cum istorum compositorum, adiectivorum sensu arrepto, illud ad elephantem hoc ad satyros sit referendum, eorum sensus non iam est 'Hand wie eine Schlange', 'Fuss wie ein Bock', sed certa quaedam istorum animalium qualitas significatur.

Forma compositionis horum adiectivorum plerumque

---

1) cf. quae Seitzius in diss. philol. Bonnae 1878 „de adiectivis latinorum poetarum compositis contulit; adeas de Catullo p. 15, de Vergilio p. 18, de Ovidio p. 24.

est comparativa; audias vero, quae Udolphius in dissert. commemorata de hac compositione monuit; dicit p. 4: „forma quaedam ellipticae compositionis est compositio comparativa;[1]) attributum, quod adiectivum designat, determinatur atque circumscribitur comparatione; modus enim attributi comparatur ei modo attributi, qui in ea re existit, quam (prius) substantivum significat; 'auricomus' est is, cuius coma est aeque flava atque aurum; 'angui-manus' elephas a Lucretio vocatur, cuius proboscis tam mobilis est ac anguis." In eundem modum explicanda sunt 'auri-comus', 'capri-pes'.

§ 2. **Adiectiva ex conglutinatione substantivi cum adiectivo orta.**

Nomina adiectiva duorum substantivorum compositione orta perrara exstare in priscae latinitatis monumentis atque inde a Lucretii aetate huius generis composita propter ornatum quendam atque sublimitatem a poetis in dies magis esse adamata, paragrapho prima demonstratum est. Mirum vero, quam raro adiectiva, in quibus substantivum in priore parte positum adiectivum in altera parte sequitur, a poetis omnium aetatum in usum sint vocata. Etenim cum in Ennii Annalibus v. 188 legantur 'belli-potens', 'sapientipotens', in Attii Deiphobo est 'armi-potens' tr. frg. v. 127, Plautus novavit: 'caeli-potens' Ps. 755; 'sali-potens' Tr. 830; 'turpilucri-cupidus' Tr. 100; 'vini-pollens' Cu. 114.

---

1) Compositio elliptica ea est, cuius membra absolutum ac perfectum sensum per se ipsa non efficiunt; constructio membrorum per se omnino est nulla. Necesse est semper, ut cogitatione interponatur explanans atque expletiva aliqua notio inter compositionis membra e. g. Windmühle est mola, quae agitatur vel movetur vento; notio agitandi mente addi debet. In voce 'cornifrons' notio 'instructum esse fronte, cornibus ornata' subaudienda est.

Lucretius: ‘penui-potens’ V 789, II 878; ‘armi-potens’ quod I 33 legitur, mutuatus est.
Lucilii est: ‘cortini-potens’ 245 (Apollo);

Nullum est huius generis adiectivorum exemplum apud Terentium.[1]) At iam videas, aureae aetatis poetas a talibus compositis novandis omnino abhorruisse.[2]) Unus Vergilius novavit ‘igni-potens ’(cf. Seitzium p. 18); verum Catullus, Tibullus, Propertius, atque qui praeter Plautum vocabulorum novandorum palmam fert, Ovidius a talibus compositis novandis sese abstinuerunt.

Neque suo iure de vocis ‘potens’ indole dubium movisse putaverim Schroederum, qui in l. c. p. 330 de adiectivis compositis, quorum posterius membrum vocabulo ‘potens’ exstat, disserens, dicit: „Man beachte, dass von den als sicher hierher gerechneten Compositis 17 auf potens endigen, bei denen es zweifelhaft sein kann, ob sie nicht besser zu den Compositen von x + Participium zu rechnen sind; entscheidet man sich für Letzteres, so bleiben nur wenige vereinzelte Bildungen hiernach.“ De hac quaestione satis difficili Besta sane in Dissert. inaugurali „de verborum compositione plautina“ Vratis-lav. 1876 omnino non dubitat. Qui p. 29 hunc in modum disputat: „Nonnulla apud Plautum occurrunt adiectiva composita, quorum membrum secundarium participio ‘potens’ continetur.“ Neque tamen tam confidenti dicendi genere quaestio plane dirimitur; vocem ‘potens’ primitus participium esse nemo nescit; verum cotidiano usu atque consuetudine trita, ita paulatim indolem participialem seu verbalem exuit, ut adiectivi solum vicibus fungeretur atque a posterioribus scripto-

1) cf. ‘urnannia’ C. I. I. p. 1254 quod vocabulum e ‘urna ahenea’ vulgo creditur coaluisse.

2) cf. Seitzii diss. c. p. 14, 15, 22, 13 al.

ribus imprimis ecclesiasticis haud raro vel substantivi sensu usurparetur. Eadem huius vocabuli nec non vocis 'pollens' ratio mihi esse videtur quam vocum 'recens', 'praegna(n)s', 'libens', 'lubens', 'impotens', 'impudens', 'praesens', 'absens', al. Qua re haud temere me fecisse credam, quod omnia ista vocabula, quorum membrum posterius 'potens' vocem praebet, in hunc ambitum potius adigenda esse censui.

Sed iam singula videamus.

In vocabulis 'caeli-potens', 'sali-potens',[1]) membro priori locativi intellectum cum Besta tribuam; 'sali-potens' igitur Neptunus appellatur, quod in mari potens est, Juppiter 'caeli-potens' quia in caelo potestate floret.

Vocem 'viri-potens'[2]) Besta p. 29 sic explicat: „Viribus magnis instructus." Sed ut 'armi-potens' eam ob rationem extra dubium vocatur Minerva, quia armis multum valet, quia armis multipotens est, non quod armis est instructa, ut 'igni-potens' nomen Vulcano datur, omnino non quod igne multo est instructus, quod absurde dictum foret, verum quia igne multum valet, sic 'viri-potens' eum significare credam, qui viribus suis multum valet. Atque eodem sensu accipienda sunt, quae in Ennii Annalibus leguntur 'belli-potens',[3]) 'sapientipotens'.

Denique de vocabulo decomposito 'turpilucri-cupidus', quin nonnulla moneam praetermittere nequeo. Besta quidem in l. c. p. 29, hoc vocabulum cum ei compositorum ordini subiungeret, quae aliorum distributionem

---

1) De 'sali-potens' vide Neue Formenlehre p. 152.

2) Haec vox antiquam stirpem 'visi' seu 'viri' meram retinuit. cf. L. Meyer: Vergl. Grammatik II 170; Kühner: Lateinische Grammatik I 65 c. γ.

3) Longe maxima pars eorum compositorum, quorum prius mem-

secutus 'composita regiminis' vocat, ipse de ea sententia stare videtur, membrum prius pro substantivo esse sumendum; distribuenda igitur ex eius sententia est vox ita, ut prius vocabulum sit compositum immutatum 'turpilucrum', posterius 'cupidus'. Verum adnotatione subiecta indicavit, rem potius in incerto esse relinquendam, cum dubitaret, num recte fortassis hoc loco vox 'turpilucricupidus' legatur. Vix vero de huius decompositi partibus dubium remanere potest, si intellectum vocis accuratius in discernendo in calculo ponamus. Invenitur sane in Apul. doctr. Plat. vox 'lucricupido', qua re fortassis dubii, quod Besta movit, aliqua ratio haberi possit. Nepue tamen huic rei maius momentum est tribuendum, quam ei, quod in Augustini scriptis legitur — 'turpilucrus',. qua voce graecum — '*αἰσχρο-κερδής*' verbotenus redditur. Sed redeam unde abripi me passus sum longius et verbo dico de intellectu vocis 'turpilucricupidus'. Quod si poneremus, prius vocabuli decompositi membrum esse adiectivum 'turpis-' posterius 'lucricupidus', ita ut ei ordini, de quo sub B § 2 agendum est, cuiusque unicum exemplum decompositionis foret, subiungendum esset, id statueremus, fieri posse, ut in decompositis formandis vocabuli **una** tantum pars, novo additamento, ante vel post posito, accuratius definiatur vel, quod ad sensum attinet, commutetur. Adiectivo igitur 'turpis' addito, compositi adiectivi 'lucricupidus' prius membrum tantum definiretur. Quod fieri posse omnino negaverim. In vocabulo e. g. trifurcifer, **totum** membrum posterius 'furcifer' nomine

---

brum seu potius thema in vocalem O exire debebat, terminale 'O' in 'I' attenuavit. belli-potens pro bello-potens; vini-pollens pro vino-pollens, alia.

numerali 'ter' vel 'tri' addito, definitur vel commutatur; item in voce 'bisulci-lingua' prius membrum, quod est 'bisulcus', totum voce 'lingua' addita, definitur.[1])

Denique paucis quaestio, cui potissimum e sex ordinibus a Boppcio positis adiectiva huius generis subiungenda sint, dirimatur. Quarto autem ordini omnia huius modi adiectiva tribuam, composita igitur regiminis (tatpurus'a) esse ea velim. Prius sane membrum compositorum casuum diversorum vim sustinet; in vocabulis enim bellipotens, salipotens, caelipotens priori parti locativi intellectum ascribo, (cf. nâust'as Bopp: l. c. p. 471), ablativi scilicet instrumenti sensum in vocabulis sapientipotens, armipotens, vinipollens, viripotens video. (f. gothicum handuvaurhts Bopp. l. c. p. 470). Neque de priore vocis 'turpilucricupidus' parte dubitatio restat.

§. 3. Adiectiva composita, compositione substantivi cum stirpe verbali orta.

Haud infrequens compositorum in hunc ambitum pertinentium numerus exstat, omnesque scriptores pro suo quisque ingenio talibus compositis fingendis indulserunt. Neque tamen apud omnes scriptores, et poetas et qui soluta lingua utuntur, idem horum compositorum amor conspicitur. Praecipuos vero vocabulorum huius generis auctores vel novatores eos, qui hexametro utuntur, exstare, facile intelleges, si, quae quisque novaverit, conferes. Omnium enim adiectivorum compositorum huius modi, quae in comicorum et tragicorum reliquiis reperiuntur, maximus numerus legitur in Ennii versibus, quippe qui Annalibus pingendis commoda admodum ea atque apta ad hexametra pangenda persenserit, quique in aliis quoque scriptis more adamato raptus est. Palmam vero compositorum huius ordinis fingendorum Lucretius fert,

---

1) Schroederus vocem 'turpilucricupidus' in ordine „immutatorum," quae substantivi cum adiectivo conglutinatione orta sunt, posuit. cf. l. c. p. 330.

qui campum insuetum fere usque tum, atque difficultatum 'propter egestatem linguae et rerum novitatem plenum ingressus, isto versuum pangendorum adiumento lubentissime saepissimeque usus est. Atque eodem fere compositorum huius generis amore Ovidius erat captus, etsi concedendum erit, non tam magna diversitate posterioris vocabulorum partis ea apud Nasonem legi; longe enim maxima copia in -fer et -ger exit.[1])

En habes, quae quisque praeter Plautum, de quo ad indicem convertaris, novasse putandus est; quae unculis sunt inclusa, apud priorem scriptorem iam exstant.

Praeripiatur tamen, adiectiva huius generis omnia esse composita regiminis (tatpurus'a). Prior compositorum pars casuum variorum vim sustinet, posterior modo activum modo passivum intellectum habet.

abie-gnus Enn. tr. 206.
aeri-crepans Att. 238 (melos).
armi-ger Att. 547.
arqui-tenens Att. 52 (167 subst.)
belli-crepus Enn. Ann. 105
Cadmo-gena Att. 642 (Semela).
caeli-colus Enn. t. 483.
capri-genus Pac. fab. prt. 5; Att. 544.
denti-fer Enn. Ann. 324. (rastros).
flammi-fer Enn. t. 27 (vim).
frugi-fer ex inc. inc. t. 164; Enn. Ann. 479 (terrae).
frundi-fer Naev. t. 25 (locos).
graiu-gena Pac. t. 364 (subst.)
horrifer Att. 566. Pac. t. 82
horrificabilis Att. 617.
hosti-ficus Att. 80 (dies); 82 (adv.)
ili-gnus Caec. St. 269.
lani-ger Att. prt. f. 50; Enn. sat. 5.
luci-fer Att. 331; (Pomp. Bon. 74 subst.)
lucti-ficabilis Pac. Antiop. frg. XIV (ap. Pers. I 78 (cor).
man-suetus Att. 411.
man-sues Att. 453.

---

1) Adeas de compositis ab eo novatis Seitzii librum p. 23

mori-gerus Afr. 372; Naev. 91.
morti-fer ex inc. inc. t. 164.
odori-sequus Liv. Andr. ap. Terent. Maur. 1938 (canes).
opi-parus Caes. St. 100.
parti-ceps Liv. Andr. 3.
pesti-ferus Nov. 37.
pinni-ger Att. 547.
portenti-ferus Nov. 37.
regi-ficus Enn. t. 85.[1]
sacri-ficus ex inc. inc. t. 121 (aras).
saxi-fragus Enn. Ann. 564.
sensi-locus ex inc. inc. c. 25 (vinulum).
Scytalosagittipelli-ger ex inc. inc. com. fg. LXI[2])
signi-tenens Enn. t. 96.
silvi-colus Att. 327.
tabi-ficabilis Att. 421.
tauri-genus Att. 463[3]).
terri-ficus ex inc. inc. t. 96.
tyrsi-ger Naev. t. 35.
veli-volans Enn. t. 52 (navibus).
veli-volus Enn. Ann. 381; t. 74.

De Plautinis huius modi adiectivis adeas iudicem.

Terentii sunt haec:
(ili-gnus) And. 585.
(mansuetus) And. 114.
(mori-gerus) And. 294.
(parti-ceps) H. 150[4]).
sacri-legus Ad. 304. (omnibus aliis locis Ad. 265; E. 419, 829, 911, 922 substantivum).

Lucilius praebet:
(coeli-cola) 6.
capru-gnus 1126.
(ili-gneus) 274.
lani-ficus 202 (sororem).
luci-fugus 392 (quaestor.).
(morti-fer) 756 (vulnere).

---

1) In hoc adiectivo, aliisque quibusdam compositis, nomini agenti -ficus passiva inest vis. cf. versi-ficus = versibus factus; veli-ficus = velis factus.

2) Udolphius in l. c. p. 42 aliam huius vocis rationem esse contendit; ad eius verum sententiam meam ut applicem persuadere mihi non possum. cf. Bestae l. c. § 1.

3) cf. Bestam p. 39 adn. 74.

4) cf. Wagneri ed. Haut. tim. ad v. 150 adnotationem.

monstri-ficabilis [1]) 565.
(muni-ficus) 525.
signi-fer 988.

Jam ordo postulat, ut ad Lucretium veniamus; apud eum exstant:

aucti-ficus II 571.
aesti-fer I 663, V 613, 642; VI 721.
barbi-ger V 900; VI 970; (capellas).
bu-cerus V 866, VI 1245.
cine-factus III 906 [2]).
corni-ger II 368; III 751.
falci-fer III 642 (currus); V 1301.
flori-fer III 11.
flucti-fragus I 305.
frondi-fer I 18, (domos); 256 (silvas) II 359.
frugi-ferens I 3 (terras).
frugi-parus VI 1.
graiu-gena) I 477 (subst.).
glandi-fer V 939.
(horri-fer) III 1012 (aestus); V 218.
horri-ficus II 609; III 906.
horri-sonus V 109.
igni-fer II 25.
(lani-ger) I 887; II 318; 661; V , VI 1245.
(luci-fer) V 726 (partem).
(mani-festus) I 188, 803, 855, 893; II 149, 246, 565, 707, 867; III 30, 353, 690; IV 504; VI 139, 249.
monti-vagus I 404; II 597, 1081.
(mori-gerus) IV 1281; V 80.
(morti-fer) VI 819, 1091.
navi-ger I 3 (mare).
nocti-vagus IV 582; V 1191.
ossi-fragus V 1079.
(parti-ceps) III 462.
(pinni-ger) V 1075.
rori-fer VI 864.
saeti-ger V 974.
semi-fer II 702.
sensi-fer III 240 (motus), 245, 270, 379; III 570, 924.
signi-fer V 691; VI 481.
silvi-fragus I 275.
(sol-stitialis) V 617.
spumi-ger V 985.
squami-ger I 162 (genus), 372, 378; II 343, 1083
tabi-ficus VI 747.
(terri-ficus) II 632; VI 388.
terri-gena V 1411, 1427.
terri-loquus I 103.

---

1) Nonius hunc p. laudans praebet 'morti-ficabilis'.
2) Eodem sensu usurpat Commod. instruct. I. vocem incinefactus.

troiu-gena I 495 (gentes.)
turi-cremus II 353.
(veli-volus) V 1442.
viti-genus V 15; VI 1072.
volgi-vagus IV 1071; V 932.

Pergamus iam ad singula tractanda.

In huius ordinis ambitu adiectiva nonnulla posui, de quibus viri docti omnino non inter se consentiunt; praecipue vero de iis adiectivis, quorum membrum posterius exit in -gradus, -colus, -fugus, -genus, — -loquus, — -sonus al. nonnulla, sententiae in varias partes discedunt. Sunt enim, qui putent, primitus haec vocabula non ea lege fuisse formata, ut nisi inita compositione non dicerentur, verum et aliis adligata et seiuncta ea adhiberi potuisse [1]). Atque apparet, ab istis viris compositorum huius modi posterius membrum pro substantivo sumi, ideoque omnia ea composita in ordine adiectivorum, quorum utraque pars substantivum praebet, exhiberi; ab aliis vero hoc membrum in compositione ineunda de stirpe verbali derivari, creditur. Atque Schroederus, qui in hanc rem in l. c. inquisivit p. 300 hunc in modum disserit: „Viel schwieriger (als über das Griechische) ist es über das Lateinische zu urtheilen; hier sind die Gebiete der Synthetica [2]) und Mutata schon viel strenger geschieden, wie im Griechischen. Doch liessen sich z. B. die synthetischen Adjectiva auf

---

1) Simile dissiduum inter viros doctos est de priore parte graecorum quorumdam compositorum e. g. φυγο-πτόλεμος, quae Clemmius: „De compositis Graecis, quae a verbis incipiunt. diss. inaug. Gissae 1867“ a verbali, Schoenbergius „Ueber griech. Comp. in deren ersten Gliedern viele Grammatiker Verba erkennen, Milau 1868“ a nominali deducit.

2) Die synthetischen Adjectiva (cf. Schr. p. 287) entstehen in der Weise, dass irgend ein Wort mit einem Verbalstamm oder einer Verbalwurzel componirt wird, die erste bei dieser Composition zum Nomen umgeschaffen wird, sei es durch Zutritt eines Suffixes, sei es ohne dieses.“

sonus, gradus, fugus als ursprüngliche Mutata von sonus, gradus, fuga auffassen, nach deren Analogie dann weitere Bildungen entstanden wären; gena und geno ist vielleicht ursprünglich mit genus unter Suffixwechsel zusammengesetzt (cf. griech. *γονος, γενης*) fero — entspricht — *φορο* —; — lego dem *λογω*; jux dem — *ζυξ*; — cola dem *κολο* (cf. *βουκόλος*); diese Schlussglieder waren vielleicht schon in der graecoitalischen Epoche gebildet. Das zu Grunde liegende Abstractum ist im Lateinischen fast durchweg verloren. Das Lateinische hat wohl früher als das Griechische den Ursprung dieser Bildungen aus dem Bewusstsein verloren und schafft nun Synthetica nach Analogie " et q. s. [1]).

Schroederum igitur horum compositorum alterum membrum de stirpe verbali potius duci sentire, ita tamen, ut in compositis fingendis nominum substantivorum inseparabilium iis suffixa dentur, apparet. Quo cum in universum quidem Uhdolphius in l. c. p. 10 consentit: „Nomina agentis maximam partem genita sunt ad ineundam compositionem, ut numquam separatim ab ea ponantur; ex eo genere sunt -facus, -dicus, -sequus, loquus, -canus, -ferus, -gerus, -sapus, -capus, -arcus, -legus, -fragus, -peta, -gena.“ Atque nonnulla adfert Uhdolphius nomina agentis, quae non inita compositione leguntur; e. g. studium, odium, gaudium al. . Verum longius ea quaestio patet, quam quae hoc loco ad certum quendam finem ducatur. Id unum tamen tenendum esse mihi videtur, in compositione ineunda, ad composita vocabula fingenda a verbalibus stirpibus omnia ista nomina for-

1) cf. Besta: l. c. § 4, b.

mari, neque separatim ea legi; quare haud temere atque inconsulte me fecisse putaverim, quod omnia adiectiva composita huius generis in hunc ambitum collegi [1]).

Aliam tamen rationem compositi 'multi-genus' esse h. l. iam obiter moneam; de quo cf. quae cap. II sub. litt. B § 1 leguntur. De utra sententia Boppius in hac quaestione stet in libro. Vgl. Gramm. eo loco, quo vocabula huius modi tractat — (quarto ordini ab eo posito sunt subiungenda) non declarat; neque quae de adiectivo 'multi-genus' p. 457 disserit, ad eius sententiam definiendam pertinent.

Ad aliam quaestionem iam adgrediamur, quae est de priore parte vocabulorum horri-fer, horrificus, horrificabilis, horrisonus, terrificus, terriloquus, tabificabilis, auctificus, al.. Quorum in priore parte stirpem verbalem inesse, multis verbis Uhdolphius in l. c. p. 82 praedicat Quo cum consentire videtur Besta in l. c. p. 30 ss. Uhdolphius cum de vocabulorum 'ari-ficus', 'caudi-ficus verba fecisset, in quibus stirpem verbalem cum infinitivi intellectu delitescere opinatur, dicit: „Adicienda sunt exempla: 'vomificus' i. e. vomere faciens, 'tabificus

---

1) cf. quae Schroederus in l. c. p. 206 praeclarissime de exemplis quibusdam, nostrae linguae desumptis, disserit: „Dagegen dürfen wir alle solche Composita, deren zweites Glied selbständig nicht vorkommt, vielmehr erst zum Zwecke der Zusammensetzung geschaffen worden ist, nicht aufnehmen. (in eorum scil. vocabulorum compositorum ambitum, quorum utraque pars substantivum exstat). Es sind dies ganz ebensowenig Composita von x + Substantiv wie etwa die deutschen Wörter Machthaber, Besenbinder, Kleidermacher, und unzählige andere, von denen doch Niemand behaupten wird, dass sie selbständige Substantive etwa ein Haber, Binder, Macher oder dgl. im 2. Gliede aufweisen.“ (Neque alicuius momenti est, quod permagna nominum propriorum copia in lingua theodisca huius modi nomina agentis praebet).

faciens tabere. Adnumerari possunt horrificus, languificus, algificus, splendificus, humificus, terrificus. Sed fortasse insunt decurtata substantiva, ut horrificus sit horrorificus, horrorem faciens, terrificus, terrorem faciens. Recte illud quidem, opinor, in vocabulorum 'arificus' 'vomificus' priore parte stirpem verbalem latere; longe enim patet istorum verborum quidem compositorum genus, quo duae stirpes verbales ad novum verbum formandum conectuntur, quod in nostra lingua fieri Grimmius omnino negat; perrara vero exstant nomina huius modi composita e. g. contemni-ficus [1]).

Aliam vero de vocabulis horrifer, horrificus, horrificabilis, horrisonus, terrificus, terriloquus, tabificabilis, auctificus al. sententiam adfectare liceat. Idem enim de his esse sentiendum, quod de vocabulis honor-i-ficus, sopor-i-ficus, amor-i-ficus, censeo [2]). Sane aliquis quaeritet, quaenam sit ratio, cur haec substantiva immutilata adhibita sint ad nova vocabula fingenda, ista vero tam foede decurtata exstent. Atque rem in aperto esse credam; facile enim intelleges, in vocabulis terror-i-ficus, horror-i-ficus et in ceteris, quorum prior pars nomen terror- vel horror- praebet, propter euphoniam quandam facilitatemque -or- syllabam esse demptam. terr(or)i-ficus, horr(or) i-ficus. Concedendum enim erit litterae R cumulatione istis vocabulis nimiam molestamque gravitatem esse tributam; quod lubentius credas, si respexeris 'amorificus', 'honorificus' non tali tam incommoda litterae R cumulatione ad pronuntiationem inepta fuisse, Romanos denique in compositis praecipue fingendis semper istam legem observasse, ut composi-

---

1) cf. de hisce compositis cap. II. litt. C. § 3.
2) cf. Bopp, Vgl. Gramm. p. 544.

torum singulae partes in compositione ineunda attenuarentur atque leniore ictu conspicua essent. Qua in re mecum consentire Uhdolphium (quod quidem ad posterius membrum attinet) laetor. Qui in l. c. p. 11, sic disserit: „Jam videndum est qua de causa lingua voces eiusmodi, quales proxime descripsi (ni mente sunt substantiva abstracta in -ium exeuntia ut -canium (galli-cinium) -statium (solstitium) (iustitium) -cadium (stillicidium) tam libenter composuerit; leves ac paene pusillae sunt terminationes, in quas illa nomina desinunt; ex quo nominibus istis exilitas quaedam existit ac levitas, quae compositioni instituendae commodissima ac convenientissima est. Compositio enim neutiquam nimium pondus ex ea re capere potest, quod ipsa ex duobus vocabulis conflatur; id omnino lingua studuit.“ e. q. s.

aucti-ficus i. e. auctum faciens ad analogiam adiectivorum lucti-ficus, flucti-vagus, flucti-fragus al. formatum esse opinor.

De adiectivis denique mendaciloquus, [1]) confidentiloquus, nihil certi pronuntiari posse credo; ne tamen ea in ordine compositorum regiminis numerentur (i. e. quorum prius membrum a posteriore pendet) quod Besta p. 31 vult, adiectivum 'confidentiloquus' suadet; cuius sensus omnino non esse 'confidentia (Ac. plural) loquens' sed 'cum confidentia, confidenter loquens', apparet.

B. Agitur de iis adiectivis compositis, quorum prius membrum adiectivum posterius substantivum vel adiectivum vel verbum excipit.

§ 1. Adiectiva composita, quorum prius membrum adiectivum posterius substantivum sequitur.

De sat magna copia adiectivorum compositorum, quae in hunc ambitum redigenda esse censeam, inter

1) In edit. II Ritschelii hic versus (Tr. 200). cum nil nisi meram insequentis interpolationem praebeat, a Plauto abiudicatus est.

viros doctos disceptatur. Neque tamen omnibus discernendi auxiliis diiudicandique notis sumus destituti; praecipuum vero ducem, cui confidentes per amplum desertumque campum non errabundi vagamur praebet intellectus compositorum quorundam dubiorum. De nonnullis quoque per analogiam aliqua fide iudicium est. Prae aliis vero dissidium est haud leve de iis compositis huius modi, quorum posterius membrum in -genus, -gena desinit, atque de singulis quibusdam e. g. vorsi-capillus, vorsi-pellis; (quae huc non refero.)

Sed priusquam ad ista pertractanda accedo, de re esse mihi videtur, ut quae adiectiva apud singulos poetas legantur, referantur.

Atque facile perspicitur adiectiva huius generis esse composita possessiva (bahuvrîhi). Celeripes igitur est is, qui celeres pedes habet, flexanimus est is, qui animum flexabilem habet. a. Videas tamen, quae diversitas inter adiectiva in '-genus' exeuntia intercedat. (cf. ea quae sub finem huius parag. monentur.) Omnia enim ea, quorum posterior pars 'genus', substantivi vim habet, compositorum possessivorum numero sunt tribuenda, dum alia huius modi, quorum altera pars a stirpe verbali potius originem ducit sunt composita determinativa (karmad'âraya). (cf. alienigenus, multigenus et caecigenus, primigenus).

In frgm. tragic. et comic. habes haec:

celeri-pes ex inc. inc. tr. 218.

flex-animus [1]) Pac. 177 (oratio), 422.

flexi-via Pac. 152 [2]).

gracili-pes Syr. c. 8.

incurvi-cervicus Pac. 408 (pecus).

---

1) Vocabulorum 'flex-animus', 'semi-somnus' suffixa numquam mutantur in -is, e, quod in permultis aliis fieri solet, quae modo in -us, a, um, modo in -is e, desinunt. vid. de hac re Kühneri gramm. lat. I p. 352. Besta in l. c. p. 6, adn. 4.

2) Hanc lectionem a. Grotio prolatam — flexivia dictio — G. Hermanno probatam retineam: Ribbeckius mavult 'flexidice'.

monolithus (graec.) Lab. c. 39
miseri-cors Syr. sent. 206.
multi-modis (adv.) Pac. 307.
omni-mode (adv.) ex inc. inc. tr. 27.
plani-pes Atta 1 (subst.), Afran. 222 (adiect. senis).
privignus Tit. 155.
reciproci-cornis Lab. 154 (aries).
repandi-rostrus Pac. 408.
soll-emnis ex inc. inc. tr. 248.; Liv. And. 9 (adv.).
sollers Afr. 61.
soni-pes ex inc. inc. tr. 237; Attius 603.

De Plautinis adiectivis adeas indicem.

In Terentii fabulis leguntur:
(multi-modis) Ph. 465; H. 320; Aud. 939; He. 280.
(soll-ers) E 478;

Lucilius praebet:
grand-aevus 1026.
omni-color 258.
(soni-pes) 419.[1]

Lucretius denique:
alieni-genus I 865, 869, 872, 874 (bis).
levi-somnus V 864.
(magn-animus) V 400.
mult-angulus IV 654.
multi-genus II 335.
(multi-modis) II 588, 620, 856; IV 644, 1155; V 1405; VI 997.
(omni-modis) V 190, 425, 718, 1024.
(soll-emnis) I 96; V 1163.
(soll-ers) V 1010, 1356.

Ad quaestionem nunc iam, quae est de compositis in -genus exeuntibus adgrediamur. Neque idem iudicium de omnibus huius generis adiectivis ferri posse, facile concedas, si exempla nonnulla contuleris. In calculo igitur ponantur haec: primi-genus, caeci-genus, capri-genus, tauri-genus, terri-genus, benignus, malignus, (cf. A § 3, B § 3) atque quinque-genus, (apud Ausonium) simili-genus, alieni-genus, multi-genus.

---

1) Graeca leguntur apud Lucilium:
καλλι-πλόκαμος, καλλί-σφυρος, ἐξυ-όδους.

Id vero omnino tenendum esse moneam, ex intellectu solum horum compositorum de eorum ortu iudicari posse. Poetae scilicet — hi enim praecipui sunt vocabulorum novatores et ab iis scriptores prosarii plerumque mutuati sunt ornatum — rerum notionibus, quae semper quidem sunt eaedem, atque ab omnibus hominibus eodem modo primitus percipiuntur atque cogitantur, propter linguae egestatem vocabula aptare sunt coacti, ut, quae sentirent, cum aliis communicarent. De notionibus igitur primis rerum, qua primum a poetis mente sunt perceptae, nobiscum constare debemus. Quae praemittere de re est visum, maiore cum perspicuitate ut eluceat, ex intellectu recte probeque percepto aliquid de vocabulorum origine iudicari posse. De vocabuli e. g. 'multigenus' ortu, locis, ubi occurrit, perspectis, omnino dubitari nequit; legitur Lucr. II 335.

„multigenis quam sint variata figuris“ wie verschiedenartig in ihren äussern Umrissen sie (exordia rerum) von einander abweichen. Epicuri eam h. l. sententiam Lucretius explicat, rerum exordia eam ob causam variis formis distare debere, quia ex atomorum congestione maxime varia ac fortuita varias figuras (multi-genas) existere necesse est. Actum vero quendam voci 'multi-genus' inesse, quod ab isto statui necesse esset, qui posterius huius vocabuli membrum pro verbali stirpe sumeret, ne in mentem quidem venire debet. Atque de hoc vocabulo inter viros doctos consensio quaedam conspicitur. Boppius in l. c. p. 457 ita disputat: „Für multigenus hätte man multi-g e n o r zu erwarten, wenn das Suffix des einfachen Wortes ungeschmälert und auch ohne Zusatz darin enthalten sein sollte, da -us, eris = skr. -as, aras nur in den flexionslosen Casus des Neutrums das alte s bewahrt hat, im Masc. Fem. aber dafür r zeigt, daher bicorpor ent-

gegen dem einfachen corpus, corporis. Mit dem unorganischen Zusatz eines i zeigt sich der Stamm 'gener' (genus-gener-is) in multi-gener-is." Idem praedicat Besta l. c. p. 39 adn. 74. „in composito 'multigenus' sane membrum posterius est stirps 'genus, gener-is'".

Quod si concedimus, de adiectivis alieni-genus (i. e. ex alieno genere oriundus), simili-genus (i. e. e simili genere oriundus), quinque-genus (i. e. res, quae quinque genera continet, 5 Gattungen umfasst) privignus (i. e. proprio genere oriundus), res iam est in vado. Neque temere me fecisse, adiectivorum istorum omnium, quae priore loco enumeravi, intellectus clamant.

Terri-genus e. g. omnino non eam significationem obtinet, ut 'terrae genus', ut quasi terrarum multa genera esse subaudiatur, vel terrae quoddam animalium genus, sed e terra prognatus, erdgeboren; per analogiam vero adiectiva caprigenus, taurigenus, et quaecumque simili quodam modo sunt formata, eadem ratione orta esse arbitrer. Verum unde adiectiva benignus, malignus, primigenus caecigenus, sint oriunda, primo obtutu haesitasse me non nego; neque ulla alia cognoscendi nota nisi intellectu quaestio de iis dirimitur. Vox caecigenus e. g. eam sine dubio sensum postulat, ut sit — blindgeboren, ita quidem, ut post aliquod temporis spatium solis lux dispici possit. Verum si a substantivo genus ortum duceremus vertendum esset, aus einem blinden Geschlechte geboren, ita ut caeci generis res esset, et numquam videndi facultate praedita fieri posset. Eodem vero modo de ceteris adiectivis, benignus, malignus, primigenus, quae attuli, iudicandum esse mihi videtur.

Restat, ut de adiectivo 'vorsi-pellis' nonnulla moneam; Bestam enim non recte de hoc nomine disputasse censeo; dicit p. 39 de 'strictivilla': „hoc compositum

huic ordini subiungo (agit h. l. de adiectivis compositis possessivis, qua appellatione Boppius est usus vid. cap. I) quia ei non activum sensum — Haarausreisserin, eine welche Haare ausreisst, — tribuo, si ita intellegendum foret, in ordinem eorum compositornm determinativorum caderet, quorum membra inversa posita sunt; malo enim hoc compositum ita explicari, ut idem sit, quod 'strictos villos habens' — eine mit ausgerissenen Haaren — velut 'vorsi-capillus', i. e. q. 'versum capillum habens' et 'vorsipellis' i. q. 'versam pellem habens [1]).

Non recte vero Bestam vocabulorum 'vorsicapillus' et 'vorsipellis' rationem indicasse opinor. Illius loci enim, quo 'vórsi-pellis' legitur — Bacch. 658 — intellectus: „' . . vórsi pellem ésse hominem cónvenit Péctus quoi sapit'" aperte indicat, activo id non passivo sensu accipi debere; significat — ut opinor — hominem non vorsam pellem habentem, sed hominem, qui pellem vertere possit, i. e. g. ein in der Kunst sich zu verstellen geübter Kerl. Atque Georges in lexico optime laudat (ad v. vorsipellis) nostrum 'Wechselbalg', quod omnino non significat einen gewechselten Balg habend, sondern einer, der den Balg nach Belieben wechseln kann — den Mantel nach dem Winde hängen kann.

§ 2. **Adiectiva, quorum in utraque parte adiectivum exstat.**

Perparvus adiectivorum compositorum huius generis apud omnium aetatum scriptores est numerus. Atque si ex eorum ambitu secludemus ea, quorum prius membrum vocula 'semi' continetur, num prorsus usque ad

---

1) Recte si sententiam quam Besta confitetur sum amplexus participio 'vorsus' adiectivum magis quam verbalem sensum tribuit, quandoquidem statum quendam perfectum ac absolutum minime autem actum quendam indicari, praedicat.

Catulli aetatem adiectiva composita, merorum adiectivorum conglutinatione orta exstent, dubitari potest.

En habes, quae huc referenda videntur.

omni-potens Enn. Ann. 446; tr. 141; Turp. 118.
multi-potens Pl. Tr. 820. Lucr. V 399, Lucil. 376.
alti-pendulus Nov. 110.

Verbalem enim stirpem in istorum adiectivorum altera parte praevalere forte aliquis suspicetur; refutari tamen videtur eius sententia vocula 'altipendulus'; repugnant quoque, quae sub A § 2 de vocabulo 'potens' monui.

Diversitatem denique quandam inter tria illa adiectiva exstare, quaerentibus nobis cuinam ordini e sex illis a Boppio positis sint tribuenda, facile perspicitur. Etenim aliud esse sentiendum de multipotens, omnipotens, aliud de altipendulus nemo non videt; hoc scilicet compositorum determinativorum (karmad'arâya), illa compositorum regiminis numero tribuam. (cf. parag. subsequ.).

Schroedero, qui huius modi adiectiva in l. c. p. 330 ss. enumerat, si fidem habere possumus, praeter crebriores formationes incipientes vocula 'semi' quattuordecim prorsus exempla adiectivorum compositorum huius generis per totam latinitatem occurrunt. Atque de tribus ex hoc numero adiectivis ipse Schroederus dubitationem movit; dico: 'falsiloquax', 'mali-loquax' 'multi-scius', quae interrogationis signo adposito adiectiva synthetica esse iudicat. Verum tria haec omnino ex hoc ambitu secludere nolim, cum et 'loquax' adiectivi vicibus in vetustissimis litterarum Romonarum reliquiis fungatur, et 'scius' apud ipsum Pacuvium iam v. 316 occurrat.

Atque apparet in omnibus adiectivis huius modi priorem compositi partem de altera dependere vel certioribus finibus ea circumscribi. Quae est ratio, cur a viris doctis, qui Indorum distributionem usurpant, in ordine determinativorum compositorum ponantur. (cf. Uhdolph. l. c. p. 82).

§ 3. Adiectiva quorum prius membrum adiectivum (adverbium) stirps verbalis sequitur.

Cum iam ad huiusmodi adiectiva composita tractanda adgrediar, ea quaestio prae aliis occurrit, quid de iis compositis sit sentiendum, in quibus prior pars adiectivi casum quendam praebet, quidve de ceteris, in quibus stirpi verbali in altera parte adverbium quoddam appositionis vi tribuitur. Neque ita facile est diiudicatu, quae adiectiva in huius quae in istius ordinis ambitum potius sint referenda. De singulis sane quibusdam, ut 'mero-bibus', 'multi-bibus', 'omni-parens', 'omni-tuens', 'veridicus' al., vel contra 'suavidicus', 'altitonans', 'altivolans' al. vix aliquis haesitet. Verum de adiectivorum huius generis longe maiore numero certa praedicare valde vereor. Quod cum extimescam, ne omnibus huiusmodi adiectivis bifariam distributis campum pugnae plenum ingrediar, uno conspectu omnia ea complectar, crucis siglo adposito iis, quorum prius membrum adiectivi vicibus potius fungi mihi videtur.

De forma tamen compositionis, si quaerimus, de sat magno numero adiectivorum certam sententiam praedicare est verendum; uniuscuiusque potius arbitrio rem permittendam esse censeo. De aliquibus sane adiectivis, ut dulcifer, sollicitus, omniparens, omnituens, primigenus, vel largificus, versutiloquus e. a. non dubitandum esse videtur. Ista scilicet composita regiminis (tatpurus'a), haec compos. determinativa esse arbitror; dulcifer enim est is, qui res dulces fert, sollicitus is, qui sollus (totus) est citus, primigenus is, qui primus (princeps) est genitus. Sed si sententiam certam pronuntiare mihi licet, quinque istis adiectivis exceptis omnia alia huius generis adiectiva compositis d e t e r m i n a t i v i s ascripserim.

Atque in tragic. et comic. reliquiis leguntur:

alti-sonus Enn. t. 82, 177; Ann. 561.
alti-tonans Enn. A. 531.
alti-volans Enn. Ann. 85.
benignus Enn. Ann. 460, Tit. 49; Afr. 59; Att. 282.
bene-volens Enn. t. 11.
beni-volus Att. 650.
crispi-sulcans ex inc. inc. t. 36.
docti-loquus Enn. Ann. 568.
dulci-fer + Enn. Ann. 71.

fallaci-loquus Att. 694.
ingrati-ficus Att. 364.
largi-ficus Pac. t. 414.
laeti-ficus Enn. Ann. 451; ex inc. inc. t. 134.
magni-ficus Afr. 236.
male-volens Enn. t. 11.
mali-ficus Lic. Andr. c. 6.
miri-ficus Pomp. B. 96, Att. t. praet. 27.
solli-citus + Afr. 77; Pac. t. 54, 135.
suavi-loquens Enn. Ann. 364.
suavi-sonus Naev. t. 23, (melos) Att. 572.
tardi-gradus Pac. t. 2. (pecus)
versutiloquus ex inc. inc. t. 114.

De Plautinis vocabulis adeas indicem.

Terentius praebet:

(beni-volus) Ph. 97, He. 761.
(beni-gnus) Ph. 768, 1051; Ad. 878, He. 472, 768, 838.
(magni-ficus) H. 227, 557, 709; Ad. 257; E. 741.
(male-dicus) Ad. pr. 15.
(mali-gnus) He. 159.
(mali-volus) H. 16, [1]) And. 6.
(miri-ficus) Ph. 871.
saevi-dicus Ph. 213, (dictis).
(solli-citus) H. 129, And. 268.

In Lucilii versibus legitur:

(magni-ficus) 339.

Denique videas apud Lucretium:

(alti-tonans) V 745.
(alti-volans) V 432 (vota).
(beni-gnus) V 1106.
caeci-genus II 741 [2]).
(laeti-ficus) I 193.
(largi-ficus) II 627.
largi-fluus V 598.
magni-ficus IV 1029.
(multi-plex) II 163.
omni-parens II 706; V 259 (terra).
omni-tuens II 942.
primigenus II 1106 (diem).
rauci-sonus II 619; V 1084 (cantus).
(solli-citus) I 343; III 732, 1049; V 46, 1214; VI 1038, 1185.
suavi-dicus IV 909.
suavi-loquens I 945; IV 20.
veri-dicus IV 7.

---

1) Vide, quae Wagnerus in edit H. ad h. v. monuit.
2) cf. cap. II sub litt. B § 1.

Ad singula iam pergamus.

Atque ex exemplorum isto congestu sat dilucide perspici mihi videtur, quo studio singuli poetae nova huiusmodi vocabula captarint. De haud exiguo sane adiectivorum numero certa fide aliquid praedicari posse negaverim, si quidem spectamus, e singulis tantum perexiguisque vestigiis saepe de singulorum poetarum tam arte poetica argumentisque, quam verborum copia dicendique genere perdubia nos coniecturis assequi posse. Hoc vero in dubium non vocaverim vel in hac permagna scriptorum exilitate, de aliquibus adiectivis haud praeter omnem fidem iudicari posse. Singulares dico formationes, ut 'alti-volus', 'alti-volans', 'alti-tonans', quas ab Ennio novatas esse veri est simillimum. Idemque constare mihi videtur de adiectivis 'crispi-sulcans', 'fallaci-loquus', 'suavi-sonus', 'suavi-loquens', 'tardi-gradus'. Neque haec res est praetermittenda, Plautum prae aliis permulta adiectiva exeuntia in — locus, (— loquentulus), — dicus (dicens), novasse. Illorum undecim, horum octo a Plauto primum usurpata perscripsi.

Terentius ne his quidem novandis indulsit; unum 'saevi-dicus' Ph. 213, ab eo formatum putandum est.

De Lucilio haesitat iudicium, quando quidem fragmenta saturarum eius nimis sunt exigua.

Neque eodem studio, quo Plautus ad novas vocum huiusmodi formationes ferebatur Lucretius est raptus; quippe Sarsinas de quadraginta tribus adiectivis huiusmodi triginta tria novavit, verum Lucretius de septendecim octo.

De singulis quibusdam adiectivis quam paucissimis iam disseram.

Atque de adiectivis 'beni-gnus', 'mali-gnus', 'caeci-genus', 'primi-genus' videas, quae sub B § 1 monui.

De ea vero quaestione, quam supra iam uno verbo tetigi, nonnulla quin addam, praetermittere nequeo. Corssenus enim in l. 'Krit. Beitr. p. 315' idemque 'Ausspr. Vocalism. etc. I p. 276' compositorum adiectivorum beni-volus, mali-volus, beneficus, maleficus, priorem partem meri adiectivi formam praebere, prorsus non adverbium praedicavit. Qui isto loco 'beni-volus' interpretatur „Gutes wollend" h. l. ita agit: „Sie sind nicht Adverbien, sondern drücken das Object der Handlung aus, die das Verbum als zweiter Theil des Compositums bezeichnet."

Composita igitur regiminis sunt ex eius sententia. Quam falsam esse cum Uhdolphio putem, cuius verba ad eam referendam adhibeam. „Significationes, inquit p. 22 l. c., adiectivorum hoc (Corsseni sententiam esse falsam mihi comprobant. Bene-volus est is, qui bene vult alicui, non qui bona vult. Ea autem ratio dicendi, quam Romani ipsi sumunt, cum separatim vocabula ponunt, adhibenda est tamquam obrussa, ad enodationem et interpretationem compositorum. Significationes illorum adiectivorum e verbis 'bene velle', 'male facere' etc. ductae sunt. [1]) Derivatione sane vocis benignus, a Paulo Festi constituta p. 33: „benignus ex bono et gignendo" Corsseni sententia fulcitur. Kühnerus quoque „lat. Gramm. I pag. 84, 4" cum vocem 'benignus' vertat „von einem Guten gezeugt" eandem sententiam profitetur.

Atque eadem ista cognoscendi nota adhibita, adiectivorum compositorum in -fer exeuntium, velut 'dulci-

1) De vocalis 'i' usu in commissura adverbiorum cum stirpe verbali pro 'e' cf. Udolphii lib. adn. 22 et quae Brambachius: 'Latein. Orthograph.' p. 179 contulit.

fer' itemque singulorum quorundam ut 'omni-parens', 'omni-tuens' priorem partem pro adiectivo sumendam esse apparet. Neque idem de adiectivo 'omni-parens' sentiam, quod de Catulliano 'falsi-parens'; huius sensus cum sit — einen erdichteten Vater habend — altera pars pro substantivo sumenda est. In adiectivo vero 'omni-parens', quod duobus locis apud Lucretium occurrit, actus pariendi (notio verbalis) cuncta tantopere praevalet, ut, quam quis adhibere malit, versio „Allmutter" refutetur.

C. Agitur de adiectivis, quorum pars prior stirpe verbali posterior substantivo vel verbo continetur.

§ 1. Stirps verbalis cum substantivo coalescit.

Perrara huius generis vocabulorum compositorum sunt exempla prae aliis, eademque non pro propria linguae latinae indole formata atque percepta, sed per festivitatem quandam aliquaque iocandi ludificandique ratione ficta, prout poetarum facetiae ebulliebant resque privatas publicasque pectebant. Quod ita esse satis ex eo apparere videtur, quod tria exempla, quae huc pertinent, in Plauti fabulis leguntur, unum praeterea ex iis in Lucilii saturis occurrit. Nullum vero, quod scio, exemplum, in Terentii Lucretiique versibus, quippe quorum oratio strenua aliqua atque moderata severitate sit conspicua, legitur. Nullum quoque huius compositionis exemplum posteriorum aetatum poetae praebent, de quibus Seitzii libr. comm. adire licet. Scriptorum, qui soluta lingua utuntur libros, ut Catonis librum 'de re sustica' et historiographorum priscorum fragmenta, adhibere huius operis ambitus non permisit. Sane quidem haud ingratum foret munus, si quis id sibi investigandum sumeret, utrum scriptores prosarii leges vocabulorum componendorum a poetis sancitas serva-

verint an augustioribus finibus coercuerint, quaeque sint praecipuae diversitates. Neque dubitaverim, quin compositorum vocabulorum novatorum copia, quam Seitzius in l. c. singulis poetis vindicavit, ista quaestione instituta aliqua ex parte diminuatur.

Id vero mihi videtur tenendum esse, in prosariorum scriptis istorum temporum, licet alterutrum exemplum compositorum huius generis occurrat, eandem eorum esse rationem, qua Plautum Luciliumque ea adhibuisse supra commemoravi.

Neque de forma compositionis adiectivorum huius generis haeret iudicium, apparet enim ex iis, quae sub finem § 1 sub litt. B monui, compositis possessivis (bahuvrîhi) haec adiectiva esse tribuenda.

Exstant vero exempla haecce:

stricti-villa Plaut. frg. Nerv. op. Gell. 3. 3. 6.
vorsi-capillus Pr. 230.
vorsi-pellis Amph. pr. 123.
Bacch. 658 (homo).
vorsi-pellis denique apud Lucilium in v. 530.

De vocabulis 'vorsi-capillus' 'vorsi-pellis' cf. quae ad B § 1 monui.

§ 2. Duae stirpes verbales coalescunt.

Eius generis compositorum, in quo prius membrum verbalem stirpem in posteriore adiectivum excipiat, cum exemplum exstet nullum, neque exstare possit, de iis compositis iam disserere licet, in quibus ad nomen adiectivum fingendum duae stirpes verbales coalescunt. Verum aeque ac Jac. Grimmius in grammatica linguae theodiscae loco commemorato (cf. cap. I) huius generis composita a nostrae linguae indole omnino abhorrere pronuntiavit, Langenus in libro: Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' Lipziae 1880 p. 167, 168, a Plauti arte componendi vocabula composita huius modi

abindicavit. Verum artem quandam Plautinam vocabulorum componendorum certis finibus circumscribi posse non crediderim, cum Sarsinatem normas omnis compositorum generis, latinae linguae proprias saepissime sprevisse atque violasse constet; ideoque rationem video nullam, cur vocabulum 'geruli-figulus' a Plautina arte reiciatur; neque ea, quae Langenus de vocabulo delenificus' ad suam sententiam fulciendam disputat, eius sunt momenti, ut vox 'geruli-figulus' omnino non Plautina demonstretur. Langeni verba sunt haec: „Das einzige delenificus weicht scheinbar von diesem constanten Bildunsggesetz ab, aber da delenire allein schon lenem facere bedeutet, schwebte offenbar bei der Bildung von delenificus, was übrigens ja nicht speziell plautinisch ist, nicht der Verbalbegriff des delenire, sondern der Nominalbegrif des lenis vor Augen'. Quod ut sumam, omnes loci, quibus vox delenificus' occurrit, dissuadent.

Adferantur iam versus:

Ml. gl. v. 194 legitur: „dómi dolos, domi délenifica facto, domi fallácias"

Turpil. v. 29: vide mírum ingenium ac délenificam mulierem

Turpil. v. 186: . . . . forte eó die
meretrícis ad me délenificae ut Atticae convénerant.

Quibus locis non tam nominalem, quam verbalem notionem vocis 'delenificus' praevalere, sensus indicat; mulier, ait Palaestrio, quae est satis mala, habet domi delenifica facta — i. e. facta, quibus unumquemque delenit — delenientia facta; quae ut dira magis sint quam lenia fieri potest. Neque quisquam meretrices lenes appellaverit; sed optimo iure amatores delenitos facientes. Legitur insuper apud Lucilium v. 548: 'contemni-ficus'.

Exiguus igitur exstat numerus compositorum vocabulorum huius modi, maior vero, quam ut hoc genus a latina lingua aeque ac a theodisca abiudicetur. Posteriorum aetatum scriptores nonnulla huius modi vocabula novata sibi indulserunt; e. g. Apuleius vomi-ficus, expergificus.

Denique ex iis, quae supra sunt disputata satis dilucide apparet duo huius generis adiectiva esse composita regiminis (tatpuru'sa).

D. Agitur de iis adiectivis compositis, quorum prior pars particulam quandam, posterior substantivum vel adiectivum vel verbum praebet.

Adiectivorum compositorum omnia genera, de quibus usque huc quaestio est instituta, indolem quasi quandam poeticam demonstrant; quorum alia, propter commoditatem quandam levitatemque ad versuum pangendorum aliqua genera arrepta, assueta deinde retenta sunt, alia, quae dictioni ornatum quendam sublimitatemque tribuerunt, lubentissime a poetis in usum sunt vocata. Non idem vero diversorum generum compositorum adiectivorum studium apud omnes poetas fuisse, in singulis paragraphis est demonstratum. Pro suo enim quisque ingenio vocabulis innovandis operam dedit, prout maiore quis vel minore studio graecorum exemplorum indolem retinuit, ideoque compositis Graecis latina vocabula aptare coactus est, aut de suo addens, ut populo placeat, populi sermonem magis minusve usurpavit Aurea deinde aetate fuerunt, qui, cum sermonis urbani atque immixti quasi cuiusdam cupiditate ferrentur, hoc illud compositorum genus ab antecedentibus poetis popularibus magis usurpatum reicerent.

Cum vero iam ad adiectivorum compositorum genera tritissima tractanda accingar, praemoneatur, in his generibus, quippe quorum in omnium scriptorum

libris maior minorve copia exemplorum inveniatur, magis dilucide quoque quam in iis generibus, de quibus usque huc verba feci, perspici posse, quo amore diversi poetae vocabulorum novandorum studio sint rapti. Atque in incerto aliquamdiu haerebam, utrum permagnam trium horum generum adiectivorum copiam non decurtatam conscriberem, an ea solum eligerem, quae essent singularia neque apud omnes poetas usque ad Catulli aetatem invenirentur. In mentem vero venit, congestum omnium adiectivorum haud omni fortassis fructu cassum fore, siquis e. g. id accuratius investigandum sibi sumeret, qui sit factum, ut scriptores posteriores hic illic loco adiectivorum compositorum quorundam simplicia potius ponerent, quaeque sint adiectivorum compositorum ea genera.

Verum omnia adiectiva composita, in quibus particula quaedam cum verbali stirpe coaluit, non adferam, cum eorum tam nimis magna sit copia quam parum magna apud singulos poetas diversitas. Ea tantum eligam, quae aut singularia sunt, aut ad hoc illudve adiectivorum genus minus tritum inlustrandum pertinent.

Neque de forma compositionis adiectivorum huius generis facile diiudicatur; omnia scilicet, nullo excepto, sunt composita possessiva (bahuvrîhi). Atque e permagna horum compositorum grege haud exigua pars aptissimam interpretandi vel explicandi ansam praebet; e. g. 'elinguis' est is, qui linguam eradicatam habet, 'exanimus' is, qui animum remotum habet, animo est destitutus, 'exspes,' qui spem nullam (remotam) habet e. a.; alia tamen haud ita facile explicantur, e. g. 'excors' et alia, quorum membrum posterius exstat 'cor-s'. Omnino tamen dubitatio exstat nulla, quin omnia adiectiva huius generis sint bahuvrîhi.

§. 1. Particula quaedam cum substamtivo conglutinatur ad adiectiva composita formanda.

(Amens) Afr. 128, 348. (cognominis) Afr. 46.

(com-modus) Tit. 64.
(com-munis) Naev. c. 75; Caec. St. 109; Atta 91.
concordis Caec. St. 109;
(con-cors) Enn. A. 110, 131.
consanguineus Pac. t. 55. praet. f. 21.
demens Enn. t. 43; Pall. inc. inc. 12; Afr. 41, 335; Caec. St.. 261.
discordis Pomp. B. 165.
(egregius) Enn. Ann. 335; Pac. t. 109, 230; Att. t. 340, praet. 33.
elinguis Pac. t. 176.
(exsanguis) Att. 56; Caec. St. 132; ex inc. inc. t. 190.
exanimus Pac. t. 233; Att. 595.
(expers) Turp. 157; Tit. 149; Att. 415.
(exspes) Att. 376, 415.
extorris Turp. 96; Att. 333; Tit. 76.
il-lex Caec. St. 60.
imbecillus (bacillo) Afr. 314.
(impunis) Enn. Ann. 100; Afr. 42. Att. 67.
inanimus Pac. t. 4.
(iners) Enn. t. 273.
inermus Caec. St. 67.
indecoris Att. 193.
infrenus Enn. t. 157.
iniugis Enn. t. 156.
iniurius Naev. t. 40; Pall. ex inc. inc. 78.
iniurus Naev. t. 40.
invius Naev. t. 30.
obscenus Enn. Ann. 181; Att. 511, 173.
obvallus Att. 111.
obvius Enn. t. 384; Att. 262; 436; Trab. 4; Pomp. B. 125.
(peregrinus) Afr. 133.
perennis Enn. sat. f. 13.
perpes Pac. t. 188, 208.
praeceps Enn. A. 391, Pac. t. 333.
(praefiscine) (adv.) Afr. 36, Tit. 110. re. 3.
praepes Enn. A. 94, 97, 437, 478.
proclivis Naev. c. 24.
(profestus) Afr. 262; Caec. inc. frg. XL.
propes Turp. 215.
securus Naev. c. 6; Enn. t. 124.
sedulus Enn. sat. f. 2; protr. 5; ex inc. inc. t. 113.
sublustris Naev. c. 4.
vecors L. And. c. 7; Turp. 121; Pac. t. 216, Att. 637.

De Plautinis adeas indicem.

Terentius praebet:

(concors) He 617.
(commodus) H. 14, 161, 521, 559, 685; And. 475, 844; Ad. 118, 783; Eun. 343, 502; He. 95, 108.
(demens) H. 257; Ad. 469.
(egregius) Ph. 100; H. 420; And. 58, 72, 273.
expers H. 652.
(im-punis) H. 650; And. 910, Ad. 824, 852, 942, 1019; He. 464.
(iners) H. 1033; And. 608; Ad. 481.
(infamis) H. 1037.
(iniurius) H. 320; And. 378; Ad. 106, 205; He. 71, 72.
(inops) Ph. 298; H. 137, 1026. And. 396, Ad. 156.
(insignis) E. 771, 1001.
(peregrinus) And. 146, 469. E. 759.
(periurus) Ad. 189.
(pervius) Ad. 578, 912.
(praeceps) Ph. 625; And. 214, 606; Ad. 317.
(proclivis) And. 78, 701.
(sedulus) Ph. 228, 428, 453, 615, 1001; H. 126, 396, 1038. And. 146, 597, 614, 679; Ad. 50, 144, 251, 413, 426, 962; E 138, 362. H. 63, 578.
(socors) Ad. 695.

Apud Lucilium leguntur:

abstemius [1]) 202.
acclivis 256.
(anceps) 750, 751.
compernis 472.
deformis 283.
exlex 45, 860.
(impunis) 167, 207.
inberbus 977.
(iners) 386.
infamus [2]) 23.
(insignis) 471, 520, 659.
(intercus) 675.
(obscenus) 789.
sedulus 632.

Denique apud Lucretium:

---

1) Hoc vocabulum Quintil. et Varro a temum i. e. temetum duci putant.

2) Sic cum codd. et L. Muellero legere malim, pro 'infuma' quod Lachmannus in textum recepit.

absonus IV 517.
(amens) VI 86.
(anceps) II 520, III 525, VI 168, 377, 596.
(avius) II 82, 146, 229, 740. * III 463; IV 1; V 397; 1386.
(consanguineus) III 73; VI 475, 1283.
consors III 332, 771.
effetus II 1150.
(egregius) I 735; III 204; V 740, 1170.
(exanimus) I 774; III 714; VI 705, 1256, 1273.
exos III 721.
(expers) II 1092; III 242, 279, 686, 712; V 357, 998; VI 1181, 1241.
exsanguis III 596, 721.
(inermus) V 1292.
(infamis) III 42.
innubilus III 21.
innumerus II 1054; III 779.
(inops) IV 1143.
(insignis) I 929; III 1015; IV 4; VI 95.
(obvius) I 132; II 86; III 384, 1041; IV 33, 309, 727, 1150, 1216; V 400; VI 339.
(perennis) I 118; III 804; V 79, 262, 463.
(praeceps) III 37; IV 509; II 279; VI 744, 1178.
(proclivis) VI 728; II 455, 792; III 311.
(securus) III 211, 939, 977; V 82; VI 58.
(subdolus) II 559; V 1005.

Adiectivis huius generis congestis apparet iam, quam vario studio singuli scriptores vocabulis novis arripiendis indulserint. Vides enim Terentium insignem vocabulorum tralaticiorum amatorem, Lucretii ingenium quattuor solum huius ordinis vocabulis copiae verborum augmen fecisse, dico: innubilus, innumerus, exos, effetus, quae operis novitati deberi verisimile est; de voce 'consors' haesito in incerto. Videas vero iam quanto studio Lucilius et Plautus vocabulis novandis incubuerint. De adiectivis hinusmodi quattuordecim quae apud illum leguntur, septem ab eo primum in usum vocata sunt. Difficile sane est dictu, quae sint novata ab eo, quae e sermone populari desumpta. De uno 'abstemius' cum aliqua

fide dici potest, ex ingenio Lucilii eam vocem defluxisse. Plura vero Plauto cum sat magna fide ascribuntur; dico: discordabilis, elixus, excors, exheres, expalliatus, expappillatus, expeculiatus, extunicatus; nec non intervius, inopiosus, subdolus. De ceteris vero adiectivis Plautinis huius modi, quae unculis inclusa non vides, temere aliquid non contendam.

Jam de singulis quibusdam adiectivis pauca addam. Adiectivum 'ingens', quod Schroederus quidem in ambitum mutatorum, quae coagmento particulae cuiusdam cum aliquo substantivo sunt orta, coegit, huc non referam. Indicavit quidem satis dilucide Schroederus, vocis versione 'ungeschlacht' facta, qui ad istam distributionem instituendam esset perductus. Nimis vero praepropere id esse factum credam; quod nos dicimus 'ungeschlacht' hominem quadratum potius indicat, quam quidem significationem voci 'ingens' primitus tribui non posse mihi videtur.

De adiectivorum 'communis' denique et 'immunis' origine non eandem esse rationem credam. Adiectivum enim 'immunis' (immoenis) directo compositione particulae 'in' cum adiectivo 'munis' ortum esse puto, quod quidem incerta sede apud Pacuvium t. 160 legitur, sed apud Plautum merc. prol. 104 invenitur. Quod idem Brixius ad Tri. v. 24 iam monuit: „immoenis = immunis von munis dienstfertig, gefällig, dem Adj. zu munus" e. q. s. Adiectivo vero 'communis' neglecto eo, quod pars posterior ab eadem radice ducitur, nihil rei esse mihi videtur cum adiectivo munis.

§ 2. Particula quaedam adiectivo proponitur.

Monitum est iam initio huius partis disputationis inter poetas priorum posterorumque aetatum latinitatis eam praeter multas alias diversitatem orationis conspi-

cuam esse, ut illi vocabulis compositis quibusdam lubentissime uterentur, hi vocabula simplicia loco compositorum eodem fere sensu arripere mallent. Neque parvi momenti hanc rem putaverim ut diversorum poetarum ingenium indolesque cognoscatur, ideoque non inutilem eandem, quae ad textus (qui vocatur) ad codd. fidem scriptorumque proprietates restituendas adhibeatur; huius rei infra exemplum invenies. Atque prae aliis adiectivorum compositorum generibus in hoc singulorum poetarum varia ingenia cognoscuntur. Omnia enim composita, quorum prior pars praepositionibus per — ad — sub continetur, non e proprietate quadam popularis sermonis, verum e singulorum poetarum ingenio profluxisse persuasum habeo. Hoc enim posito, ratione ratis aperta elucet, cur inter scriptores diversos, poetas certe, (neque scriptorum prosariorum aliam esse rationem crediderim) tam varium studium talium compositorum arripiendorum cognoscatur. Ne vero sermoni populari talia composita ascribamus multae res clamant: clamat diversissima talium compositorum adiectivorum copia apud eos poetas, qui nec argumentorum varietate nec temporum nimis magna diversitate disiunguntur, suadet ea res, quod haud pauca horum compositorum exempla sunt ἅπαξ εἰρημένα, postulat id quoque, quod haud parvus eorum numerus apud eum postea scriptorem occurrit, qui omnis latinitatis urbanae palmam fert, apud Ciceronem. Varia varios poetas lubidine ad talia composita fingenda esse raptos e congestu eorum supposito elucebit, monuitque iam Spengelius ad Andr. v. 265 eorum compositorum, quorum prior pars praepositione 'per', exstat, Terentium esse permagnum amatorem.

Adiectiva composita huius modi ἅπαξ εἰρημένα sunt:

Terentii:

percontumax
perfortis
perscitus

Plauti:

pergraphicus
perlepidus
perlonginquus
perniger

Lucretii:

perdelirus
perdulcis. (1)

Afranii;

perfalsus
perpalaestricos (-κῶς).

Raro, verum apud plures scriptores inveniuntur:

perbenignus Ter. Cic.
perbonus Pl. Cic.
percarus Ter. Cic.
perfacilis Pl. Atta.
perfidiosus Pl. Cic.[2])
pergrandis Pl. Cic. Liv.
periratus Pl. Cic.
perliberalis Ter. Cic.
perlongus Pl. Ter. Cic.
perlubens Pl. Ter. Cic.
perlucidus Pl. (postea saepius).
permagnus Ter. (postea saepius).
permirus Pl. Cic.
perparvus Pl. (postea saepius).
perpauper Afr- Cic.
perpropinquus Att. Cic.
perpulcher Ter. Pl. (uterque semel).
persuptilis Lucr. Cic.
perterricrepus Lucr.
pertinax (saepius).

Cum igitur Terentius saepissime compositis adiectivis, quorum prior pars praepositione 'per' continetur usus sit, neque dubitaverit, licet eius sermo restrictioribus quodammodo finibus sit coercita nonnulla novare, vocem perparce (And. 455), quam codd. habent, ab eo non abiudicem, quod quidem Umpfenbachius mavult, qui legit, 'pernimium parce', (3) nisi forte eandem huius

1) cf. Reines. insc. c. 20. no. 150.

2) 'Perfidiosus' adiectivum derivatione quidem est ortum ex adiectivo 'perfidus'; enumerandem tamen erat hoc loco eam ob rationem, quae cap. I legitur.

3) vox 'pernimium' apud Terentium variis locis invenitur.

loci rationem esse vult, quae exstat And. 486 'per ecastor scitus' Ad. 535 per te audit lubenter; Cato (ap. Cic. or. II 271) 'per mihi scitum videtur'; Cic. ad Q. fr. II 9, 2. 'per mihi benignus'.

Adiectivorum quorum prior pars praepositionibus ad-sub continetur non magna copia exstat, ita ut concludi possit, nulla aetate ea maiore studio ab aliquo scriptore esse in usum vocata. Illorum sunt:

adaeque Pl. Liv.
admoderatus Lucr. (ἅπαξ εἰρ.)
adlaudabils Pl. Lucr.[1])
adprobus Pl. Lucr.
adsimilis Pl. Lucr. (postea saepius).
aduncus Pl. Enn. (postea saepius).

Horum:

subaquilus Pl.
subbasilicanus Pl. (ἅπαξ εἰρ.)
subcavus Cato Lucr.
submerus Pl. (ἅπαξ εἰρ.)
subniger Pl. Varro.
subrufus Pl. Plin.[2])
subvulturius Pl. (ἅπαξ εἰρ.)[3])
subtristis Ter. (infumae latinitatis scriptores.)
succrotillus Afr. Titi.

Praemittatur denique adiectivorum huius generis enumerationi brevis de forma compositionis disputatio. Atque elucet membrum posterius — quod plerumque absolutum ferri potest: derivata sunt ex adiectivis simplicibus e. g. '-fidiosus' (perf.), '-noxiosus' (obn.), decurtata e. g. '-pos' (potis) in adiect. compos. impos, '-bilis' (habilis) in adi. debilis — praepositione praemissa accuratius definiri vim eius aut augeri aut minui; determinatur igitur eorum intellectus ideoque comp. determinativis (Karmadʿâraya) ascribenda sunt.

---

1) In Plauti Pr. v. 673 propter concinnitatem quandam cum epithetis insequentibus 'adlaudabilem' praeferam, quam lect. codd. praeter A praebent omnes reliqui. Commendatur sane vox 'adiutabilis' eo, quod in Mil. v. 1144 legitur 'operam adiutabilem'.

2) Loco vocis 'subrufus' posterioribus aetatibus simplex 'rufus vel 'rufulus' saepissime rubicundus invenitur.

3) per festivitatem quandam formatum est.

Jam tota adiectivorum compositorum huius generis moles subiciatur.

In trag. comic. reliquiis sunt:

adprobus Cae. St. 228.
aduncus Enn. Ann. 491.
complusculus Turp. 183.
compos Naev. t. 6; Enn. t. 352; Att. 36.
confidens Afr. 376: Turp. 80.
consimilis Att. 406; Afr. 135, 397.
debilis (de habilis) Enn. Ann. 329.
difficilis Afr. 252; ex inc. inc. c. 38.
dilucidus Pomp. B. 161.
dispar (dyspar) (1) Att. 156, 561, ex inc. inc. t. 184; Pomp. B. 136.
evalidus Enn. t. 157.
exanimabilis Naev. c. 35.
ignavus Att. 559; Pac. t. 348; Tit. 48.
ignobilis Pac. t. 221. Enn. t. 166; Liv. And. c. 4.
ignotus Att. 237; Pac. t. 221; Nov. 11; Caec. St. 196; Enn. t. 110; Naev. t. 36.
immanis Att. 113, 338, 411, 560.
immemor Att. 364.
immemoris Caec. St. 31.
immisericors Att. 33.
immortalis Att. 339, 363; Caec. St. 270; Turp. 89.
immunis (2) Att. 364.
impar Att. 561.
imperitus Att. 287; Caec. St. 260.
impetibilis Att. 91.
impius ex inc. inc. c. 198, Afr. 57; Enn. sat. frg. 5.
impos Att. 287.
impotens Pom. B. 164.
impudens Enn. t. 272; Liv. And. 25.
improbus Afr. 165; Tit. 175; Enn. t. 115.
imprudens Afr. 194.
inauratus Tit. 1; Enn. t. 210.
incertus Pac. t. 43, 225, 302, 369; Turp. 48; Enn. t. 4, 190, 351, 352, 388.
incicur Pac. t. 386.
incredibilis ex inc. inc. c. 40.

1) cf. Ribb. ad Att. v. 561.

2) De hoc composito cf. D § 1.

De Plautinis adeas indicem.

Apud Terentium sunt.

perpaucus E. 409.
perpulcher E. 408.
persanctus He. 771.
perscitus And. 486.
prolixus H. 290; Ad. 943; E. 1082.
proprius Ph. 830; And. 716, 960.
subtristis And. 447.

Iam venio ad Lucilium:

confidens 334.
conscius 408, 1075.
immanis 108.
impos 59.
improbus 247, 334, 340, 350, 738, 753, 828, 872, 932, 941, 1062, 1071, 1116.
imprudens 537.
impurus 597.
ignarus 964.
ignavus 464.
indignus 775.
ineptus 872.
infelix 341, 540.
infidus 518, 597.
inhonestus 1020.
iniquus 208.
inlitteratus 535.
insanus 37, 428, 627, 851.
insulsus 1156.
inusitatus 602.
inutilis 518, 1020.
invitus 978.
praeclarus 988, 1113.
praetepidus 618.
profestus 1020.
vegrandis 573.

Sunt denique apud Lucretium:

adlaudabilis V 158.
admoderatus II 169.
adsimilis I 1061, II 493, IV 336, 425.
aversabilis VI 390.
condensus I 575, 604, II 100, IV , V 486, VI 102, 466,
concavus II 619, V 1256.
compar IV 1255.
conscius III 1018, IV 1135, VI 393.
consimilis I 842, 885, 917, 1004, II 504, 676, 736, 807, 1018, III 8, 74, 282, IV 91, 233, 506, 881, 1131, V 297, 714, 813.
difficilis I 137, 487, II 1027, IV 1147, V 99, 527, 735, 1168.
diffusilis V 467.
dispar II 738.
dissimilis I 245, 504, II 380, 409, 432, 664, 667, 671, 668, 697, 722, 781,

obstipus IV 516.
perdelirus I 692.
perdoctus I 1114, III 476.
perdulcis IV 635.
perfacilis II 381, 763, 1170, VI 532.
permagnus I 908, IV 1264.
permultus II 1079, VI 206, 271, 470, 883, V 544, VI 1002.
perparvus III 216, V 588.
perpaucus II 540.
persiptilis III 179.
perterricrepus VI 129.
praeclarus I 729, 732, II 1032, IV 1033, V 120, 157, 1138, 1174, VI 2, 418.
praeposterus III 621, IV 833.
praeproperans III 779.
prolixus IV 1245.
proprius V 770, VI 985.
resupinus I 37.
subcavus VI 557, 682.

Adiectivis huius generis iam congestis paucis de aliquot vocabulis agatur. Neque praetermittendum videtur, Plautum nec non Terentium adiectivo 'inscius' sese abstinuisse, arripuisse semper 'insciens'. Quae vox posterioribus aetatibus rarissime occurrit; Lucretius quidem, licet priscae latinitatis sit tenacissimus, numquam eam arripiebat, invenitur tamen aliquot locis apud Ciceronem Liviumque.

Quae vero sint rationes, quibus adductus vocem 'perterricrepus' in hunc ambitum coegerim, pluribus verbis demonstretur. De quo vocabulo Besta in l. c. p. 28 ita disserit: „Confero cum hoc composito (sc. contortiplicatus de quo adeas c. II B § 3) 'perterricrepus' quod non significat 'perterrens et crepans' sed 'crepando perterrens'. Prave id quidem, ut opinor; adiectivi 'perterricrepus' partes constituam particulam 'pér' et adiectivum 'terricrepus', quod quidem uno loco apud Augustinum excepto per omnem latinitatem non occurrit, verum posterior pars decompositi 'perterricrepus' substitui debet. Adiectivum autem 'terri crepus' ita ortum esse velim, ut prior pars sit, terr(or)i altera stirps

verbalis. (cf. quae ad A § 3 de vocibus 'terrificus' al. monui.) Additamento autem 'per' praefixo non alterutri parti, ut Besta mavult, sed toti vocabulo composito maior vis tribuitur. (cf. B § 2). Notandus denique videtur frequens adiectivorum 'consimilis' — 'condignus' apud Plautum usus. Quorum hoc apud Terentium non invenies; istud saepe apud eum legitur. Eademque horum vocabulorum ratio est apud Lucretium. Apud Lucilium neutrum quidem invenitur, verum pro fragmentorum paucitate nihil certi ex hac re concludi posse mihi videtur.

Campum vero iam hunc longissime patentem, ideoque difficilem quidem sed gratissimum, fructibusque redundantem iam relinquere necesse est.

§. 3. **Particula quaedam cum stirpe verbali coniungitur.**

Non omnem adiectivorum compositorum in hunc ambitum pertinentium copiam congesturum me huc esse supra iam dixi; nimis magna eorum est moles, huius quidem dissertatiunculae fines excedens, nimis parva eorum diversitas, opera non satis digna. Sufficiat igitur ea huius generis adiectiva conscripsisse, quae aut a singulis solum poetis sunt usurpata, aut singularitate quadam sunt conspicua, aut alia qualibet ratione sunt digna, quorum hic mentio fiat. Atque de adiectivis 'absens': Turp. 213; Afr. 6: Att. 38, 'praesens': Naev. t. 9; Turp. 213; Pomp. B. 47, 168; Nov. 57; Att. 134 (bis), 251, 428, initium ut capiam, paucis praedicetur, plerisque locis ea vocabula ita legi, ut significationem vimque praepositionis ('coram') habeant, ita quidem, ut forma ablativi singularis adverbialem quasi vim induat, atque substantivi casibus, licet sint plurales, addatur.

Forma vero compositionis adiectivorum huius generis non est alia ac eorum, quae parag. secunda sunt tractata. Posterioris scilicet membri definitio accuratior in aliquam partem priori membro

inest. Absolutus quidem posterioris membri horum compositorum usus est nullus; intellectus scilicet stirpis verbalis, unde posterior pars originem ducit, determinatur. Monendum denique esse videtur adiectiva huius generis non vera compositione sed derivatione a verbis compositis esse orta; cf. tamen quae cap. I monui.

Sed collegantur, quae singularia exstant.

En habes in comicorum tragicorumque reliquiis:

advorsabilis Att. 158, 460.
adspernabilis Att. 555.
ascendibilis Pomp. B. 18.
condecoratus Att. 421.
confragus Naev. t. 58.
commictilis Pomp. B. 138.
defricatus Naev. c. 80.
eloquens Afr. 215.
exsecrabilis Att. 270.
impexus (PA.) Pac. t. 21.
indecorabilis Att. 258.
infandus Val. Ruf. 1; Att. 131.
infans Att. 189, 315.
innuptus ex inc. inc. t. 80.
instabilis Pac. t. 369.
nefrens L. And. t. 38.
obstrudulentus Titi. 166.
pervicax Att. 8.
pervicus Att. 158.
praecoquis Nov. 106.
praecox Enn. A. 282; Afr. 335.
